



**Regula Sancti Patris Benedicti**

**Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>**

**Moguntiae, 1604**

Illvstrissimo, Principi, Reverendissimoqve In Christo Patri, & Domino, Dn.  
Balthasari Abbatii Fuldensi, D. Augustæ Archicancellario, per Germaniam  
Galliamque Primari, Sacri Romani Imp. Principi suo ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](#)



ILLVSTRIS-  
SIMO, PRINCIPI, RE-  
VERENDISSIMOQVE IN CHRI-  
sto Patrī, & Domino, Dn. BALTHASARI  
Abbari FVLDENSI, D. Augustæ Archicā-  
cellario, & per Germaniam Galliamque Pri-  
mati, Sacri Roman: Imp. Principi opti-  
mo, &c. Domino ac Principi suo  
Clementissimo.

Salutem, gratiam & omnium rerum successu-  
umque felicitatem.

**B**lustrissime Princeps, Domine  
Dn. Clementissime, Hoc in pri-  
mis maxima omnium tum ad-  
miratione tum consideratione  
dignum est, quod summa Dei prouidentia  
semper & ubique tunc sua afflicta & dilecta  
Ecclesiae auxiliatrices manus porrigit &  
opulari soleat, quando ea vehementius à Ty-  
rannorum violentia & hereticorum prauit-  
ate fatigetur, & quasi superata videatur;  
& tunc crescat & floreat, quando decrescere  
& arida putetur, tunc gregem eiusdem bonis  
pastoribus & inculpatæ vitæ præsulibus pro-  
uideat & dirigat, cum derelicta & vidua

). ( 2 esse

E P I S T O L A

esse censeatur. Quod et si innumeris omnium  
temporum & nationum exemplis probari  
& attestari possit: ex quam plurimis tamen  
hoc unicum ad meum institutum apprime  
accommodatum hic in medium proferam, &  
submissa dedicationi huic inseram. Omnes  
enim historiae, præseritim vero Annales Eccle-  
siastici probatissimi nostri seculi Scriptoris  
Casaris Cardinalis Baronii, viri de Repub.  
Christianæ optimè meriti, pari dexteritate  
testatur, quod eo tempore, quo uniuersa Ita-  
lia, Germania, Gallia, Hispania atq; Africa,  
totusq; penè Occidens, à Tyrannis & persecu-  
toribus Gothis & Vandalis Arianorum  
sectæ defensoribus posse debantur, nec non u-  
niuersus Oriens multis & variis heresibus  
infectus esset, & Monachismus magna ex  
parte collapsus, compluribus ex iis à fide Ca-  
tholica ad diuersos heresum errores deficien-  
tibus, aliisque ab omni vetere instituto ri-  
gido in delicias prolabentibus, Deus prepo-  
tens magnum illum Monachorum Patri-  
archam, clarum illud Ecclesiæ Occidentalis  
decus, B E N E D I C T U M, patria quidē Nur-  
sium, sed Roma litteris operam dante, ab Ur-  
be vocauit, & in solitudinem sublimioris vi-  
tae monastica prima feliciter fundamenta ia-  
ciente, perduxit, ut in tam tetra noctis ob-  
scuritate eiusmodi claritudo lucis effulgeret,

qua

D E D I C A T O R I A.

qua vniuersus Catholicus Orbis denuò illu-  
straretur & omniū Tyrannorū persecutio ha-  
reticorūq; prauitas è medio tolleretur, & mi-  
rabiliter absorberetur; & Ecclesia sancta splé-  
dore huius sancti Viri diuinitus propagare-  
tur, atq; obseruātia monastica & disciplina lon-  
gè lateq; diffunderetur, eaq; adeò fæcūdo ger-  
mine dilataretur. Nā hoc pro certo constat, &  
in historiis dilucide habetur, q; ex tenui hoc  
surculo praegrandium exortæ sint frugifera-  
rum arborum siluæ, qua vniuersam repleue-  
rint Occidentalem Ecclesiam, extiterit que  
locuples seminarium, ex quo plurimi progres-  
si sint sanctissimi diuersarum Ecclesiarum E-  
piscopi, illustrissimi Abbates, Præpositi am-  
plissimi; nec defuerint ex iis, qui in throno  
Apostolico cūsidentes, vniuersam Catho-  
licam Ecclesiam, cùm vehementiores urge-  
rent fluctus, constantissimè gubernârint, &  
qui eodem Apostolico munere complures bar-  
baras nationes Christi iugum ferre impati-  
entes, tandem ad Christianam fidem sponte  
capessendam, conuerterint. Prodierintque  
alij, qui ob suscepta grandia pro religione cer-  
tamina, sint victores consecuti coronam  
martyrii. Praetereo iam modo illos qui sa-  
crarum rerum scientia nobiles inter scripto-  
res Ecclesiasticos floruère: nec numero, qua  
numerari vix possunt, sacrarum examina

):( 3 virgi-

EPISTOLA

virginum: sicut nec facile sit recensisse, quot ex hoc uno verè dicendo sui humilitate fonticulo, immensa flumina sint deriuata: quot, inquam, ex S. BENEDICTO diuersorum ordinum sint progressa agmina Monachorū, qui licet diuerso nomine in Ecclesia Dei circumamicta varietate censemantur, instituti tamen esse S. BENEDICTI, & ab ipso progredi glorientur. Hac tanta, qua tamquam unmensum cælum, in paruo globo conscripta cernuntur, nonne merito admiranda & consideranda obueniunt?

S. Benedictus  
di patris.

Anno Chr.  
A.D. 494.

Gregor.  
Dial. lib. 2  
cap. 1.23  
& sequent.

Natus fuit hic S. noster BENEDICTVS Nursie, anno Christi 480. in sua pueritia bonis litteris incumbens Romæ, magnum fecit profectum, repletus diuina gratia, suis similes & aquales & pieate & eruvione superauit, & longo interuallo post se relequit.

Anno vero etatis sua decimo quarto ab Orbe recessit, & in specu quodam arcto & rigido tres annos, uno tantum conscientio sancto Romano, delituit, ut S. Gregorius tradit. Inde vero Dei revelatione notior factus, & virtute miraculorum redditus uniuersae regioni illi conspicuus; inuidiæ iaculis ab hominibus appetitus, postquam vires Satanae confregisset, victor in omnibus, ad vitæ sanctæ & emulationem suo exemplo quamplurimostraxit: cum tamquam ex alveario ex-

crescen-

DEDICATORIA.

crescentia apum examina in alia vasa ipse  
inferens, duodecum à se erecta monasteri re-  
pleuit: ad quem multi Romanæ urbis nobi-  
les concurrerunt. sic in angustiis Sublacensi-  
um montium perseverauit triginta duos an-  
nos; donec tandem diuino monitu ex prædi-  
ctis angustiis egressus Casinum montem pe-  
tens, illicq; erecto monasterio, monasticum  
ordinem mirificè propagauit, idololatriam  
quæ ibidē adhuc vigebat, penitus extinxit,  
Dæmonia graui certamine superauit: in to-  
ta vita sua fuit fide firmus, spe robustus, ge-  
mina charitate feruidus, mente purus, de-  
uotione præcipius, in oratione ardens, in me-  
ditatione accensus, in lectione sanctorum  
scripturarum sedulus, in contemplatione al-  
tus, & ut breuiter concludam, omnium vir-  
tutum ornatus insignis, humilis, pudicus, so-  
brius, castus & quietus; ad exteriores con-  
uersationem totus igneus, totus exemplaris,  
benignus, mansuetus, & ouium Christi pa-  
stor vigilanssimus; & tamen cum ratio  
exigebat, zelo disciplinae accensus, peruerso-  
rum vitam constanter arguebat. Sicq; innu-  
merorum penè sanctorum atq; etiam doctis-  
simorum Patrum Patriarcha B E N E D I -  
CT V S fuit fæcundissimus propagator, ordi-  
nem suum in multas mundi partes dilata-  
uit, dum vixerat.

Anno Ch.

529.

):( 4 Con-

EPISTOLA

Conscriptis suis Fratribus REGVLAM O-  
mni discretione, præcipuā sermone luculentā,  
quam in Concilio Romano S. Gregorius Papa  
probauit & confirmauit. Quam etiam pro-  
ximè nostro saeculo Gregorius Papa XIII. in  
Breui dato, unacum Declarationibus & Cō-  
stitutionibus Patrum Congregationis Ca-  
sinensis de nouo confirmauit & approbauit.  
Cuius REGVLÆ exemplar, adiuncta insuper  
vita S. Patris BENEDICTI, post Florenti-  
nam, Venetiamq. & Parisiensem editionem,  
etiam nunc typis Moguntinis, in forma en-  
chiridij; manibus portatile, & emendatus,  
omnibus & singulis huius ordinis Prælatis,  
Patribus & Fratribus viendum, & meis  
sumptibus in lucem recens datum, exhibeo.

Ne autem Illustrissime Princeps Domine  
Dn. Clementissime, hac REGVLA S. PA-  
TRIS BENEDICTI absque patrocinio ali-  
quo cuiusdam Principis exiret, & in iniquas  
quorundam huius peruersi temporis censio-  
rum maleuolorum manus incideret & car-  
peretur; sed omnibus præsertim eius Ordinis  
Patribus & Fratribus acceptior foret, ipsi in  
verum Patronum & summum defensorem,  
Illustrissimam Cels. V. ut verè Primate &  
supremum eiusdem REGVLÆ & Ordinis  
Pralatum, elegi & merito decreui. Verum  
enim uero, quis mihi tam vitio verteret, si

ratio-

Anno Ch.  
1575.

Anno Ch.  
1578 die  
13. Aprilis.

DEDICATORIA.

rationem iēporis illius Reuerendiss. Cels. V.  
quo primum ad sui regiminis Ecclesiasticum  
clauum sedere incepit; illud etiam, quo tot  
annis in angustijs Castorei montis delituit;  
& hoc insuper quo diuina fauente gratia ite-  
rum in pristinum regiminis culmen & inte-  
grum totius Diaecesis Fuldenſis gubernacu-  
lum restituta sit, conferrem cum tēpore illo,  
quo S. Patriarcha BENEDICTVS in mon-  
tibus Simbruiniſis tōidem & paulo plus an-  
nis vitam solitariam egerit? Nam sicut hu-  
ius S. Patris tempus valde luctuosum, Ty-  
rannorum cœdibus funestum, Arianorum  
hæresibus infectum, disciplina monastica in-  
fructuosum, & omnium calamitatum mole,  
& religionis Christianæ penuria refertum,  
donec tandem S. Pater BENEDICTVS di-  
uino instinctu notior factus, miraculorum  
virtute vniuerso Orbi conspicuus, corusca-  
tione sui splendoris omniū Tyrannorum fu-  
rorem mitigauit, omnem calamitatem su-  
stulit, omnia reformatum, omnia in integrum  
restituit, religionem Catholicam & Ordinē  
suum sanctissimis incrementis ubique terra-  
rum propagauit & dilatauit.

Ita etiam tempus Electionis Illustriss.  
Cels. V. erat admodum lamentabile, maior  
pars Principatus Illustriss. Cels. V. hæreticorū  
fraudibus corrupta, & sancta religio hinc

):( 5 inde

E P I S T O L A

inde abolita, hærenorū nebulis obducta &  
penè omnia frigidè administrata, Illustriſſ.  
Cels. V. singula & cuncta reformare & in  
sanctæ vetustatis formam restituere volens;  
sed tunc sine dubio permissione ob crimineum  
hominum multitudinem & enormitatem,  
cursus reformationis interclusus, & tempus  
hoc præsens cōmodius ad illud efficiendū pro-  
uisum est: Abscondita latuit Illustriſſ. Cels.  
V. cum S. B E N E D I C T O in montium  
solitudine inter bruta ferè animalia, austera  
piæ sanctitatis vitam, cū summa patientia,  
exemplo vera imitationis, viginti sex annis  
ducens, fide firma, sper robusta, charitate ac-  
censa, mente pura, deuotione sedula, in Missa  
celebratione quotidiana, pauperum subleua-  
tione assidua, in Orationibus fervida, in le-  
ctione sacrarum scripturarum ardens, in cō-  
templatione alta; & vi multa breuibus con-  
cludam, omnium virtutum insignis robo-  
rata, ornata & decorata: donec tandem di-  
uinæ clementia placuit, Reuerendisſ. Cels. V.  
ex angustiis illis montis Castorei liberare, &  
ad pristini sui honoris culmen euehere, Ec-  
clesiam suam eidem committere, ut subditos  
suos bene regere, & populum Christi sanguini-  
ne redemptum ab erroribus reuocare, & in  
unum verum Christi ouile perducere posset.  
Insuper sicut tempore S. B E N E D I C T I

Aria-

DEDICATORIA.

Arianismus pedetentim elanguit; Monachismus ubique terrarum vires recuperans, latissimè sese extendit, & omnia nouam faciem sumere visa sunt: Ita in Ecclesia tota Fuldersi novo regimine Illustriß. Cels. V. adepto, religionem reformatam, ordinem illustratum, subditos obedientes, & cunctare nouata breui videbimus & experiemur: Lætetur igitur Reuerendiss. & Illustriß. Cels. V. quod ad imitationem temporis, Ordinis & religionis S. BENEDICTI Deus ter Opt. Max. secum egerit, & eam similem sancto viro comparatione pari fecerit: pergit his suis omnium virtutum insignis & ornamentiis, regat feliciter Ecclesiam suam, & Ordinem suum, & subditos suos; & hanc REGVLAM S. PATRIS BENEDICTI Illustrißmo nomini suo submisse consecratam, dedicatā & inscriptam, sereno vultu accipiat, & me meosq; sibi semper commendatos habere satagat. Deus Opt. Max. Reuerendiss. eandem Cels. V. ad mulios annos felicissimè & diutissimè conservet & tueatur; quod ex intimo corde precor & opto. Dat. Francofurti in festo S. BENEDICTI, Anno redēptionis nostrae 1604.

Reuerendiss. & Illustriß.

Cels. V.

subditus cliens

Nicolaus Steinius Bibliop.

GREGO-

